

lam ex ignorantia aut principio externo ortum trahere. Quod
 faciunt verba Philosophi lib. 3. Nicom. c. 1 quando inquit: Τῆς
 δὲ τῆς περὶ πάθη τε καὶ πράξεις ἕξις, καὶ ἐν μὲν τοῖς ἐκείνοις ἐ-
 πάσι καὶ λόγοις γινόμενων. ἐν δὲ τοῖς ἀκέραιοις συγγνώμης εὐνο-
 ῖας δὲ καὶ ἐλέους, τὸ ἐκέραιον καὶ ἀκέραιον ἀνάγκη ἴσως δώσειν τοῖς
 περὶ ἀρετῆς, ἐπισκοπῶν ἕξι. χρήσιμον δὲ καὶ τοῖς νομοθετοῦσι πρὸς
 τὰς τιμὰς καὶ τὰς κολάσεις. Quæ verba Aristotelis duas causas
 comprehendunt, quamobrem de eo, quod SPONTE est, &
 de INVITO agendum sit. Prima huc redit: De iis agendum
 est, in quibus sunt laudes & probra, venia & misericordia,
 quippe quæ actionibus humanis tribuuntur huic Philosophiæ
 propositis. At in iis, quæ sponte sunt, sunt laudes & probra,
 prout bona vel mala sunt; & in invitis fit venia & misericordia.
 Ergo de iis Philosopho Morali agendum est. Altera ratio
 est: Quæ Doctrina utilis ac necessaria est legumlatoribus in
 constituendis pœnis vel præmiis factorum, eam etiam Philo-
 sophus Moralis in doctrina de virtutum actionibus debet con-
 siderare; nam Philosophia Moralis est fons & origo civilis
 scientiæ & legum fundamentum. Sed cognitio de SPONTA-
 NEO & INVITO utilis ac necessaria est Legumlatoribus in
 constituendis præmiis aut pœnis; Igitur de his etiam Philoso-
 pho Morali est agendum. Minor radiis solaribus inscripta
 esse videtur; non enim eadem pœnâ afficiendus est is, qui in-
 vitus, & is qui volens peccavit. Imò ille, sc. invitus sæpè me-
 retur veniam; hic autem nunquam. Unde Lege divinâ tales
 absolvi possunt, qui non-volentes homicidium perpetrarunt,
 ut habetur Num. c. 35. Et Deus ipse in populò Israëliticò sex ci-
 vitates constituit, ad quas tales deberent refugium habere.
 Quas & alias rationes animò perpendentes nostro, non potui-
 mus, quin in tam nobilem doctrinam penitus paulò inquire-
 remus, & quædam pro ingenii modulò publicæ disquisitioni
 subjiceremus. Quod si in aliquibus rem, quod dicitur, acu non
 tetigerimus; Benevolum Lectorem tamen conatus nostros
 approbaturum esse confidimus. Sit itaque

§. I.

Invitum, quò de initium facturi & ex ejus natura contrarium
 nem-